LIBERTAS HUMANA
A
CONSCIENTIA OPTIMAE MENTIS DUCTA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

CONSECUTUS

SCRIPSIT

JOH. CAROLUS LUDOVICUS GRIESE

PHILOSOPHIAE DOCTOR.

FRANCOFURTI AD VIADRUM

TYPIS EXPRESSIT HAENSCH & PAHL.

MDCCCLXXI.

PARENTIBUS DILECTIS.

Quamquam Spinozae philosophiae pars moralis, quum nobis occurreret, nos summo studio sui affecit, tamen tantum abest, ut huic philosopho, totam rationem et disciplinam ejus contemplati, nunc assentiamur, quod intellegere non possumus, quomodo homo libertate utatur, ut illum accusemus, quod sibi non constitit, et contendamus illum, si sibi constare voluisset, concedere debuisse hominem eadem necessitate teneri, qua reliquos modos absolutae substantiae teneri dixit. Nam: „Ea", inquit, „res libera dicetur, quae ex sola suae naturae necessitate exsistit vel in se est; necessaria autem vel potius coacta, quae ab alio determinatur vel in alio est." Unde quum, quaecunque exstant, modi absolutae substantiae sint, efficitur quum omnia tum hominem, ut verbis Spinozae utamur, non ex sola suae naturae necessitate exsistere, sed ab alio, quod est haec absoluta substantia, determinari. Nihilo secius affirmavit ille hominem libertatis participem fieri posse et remedium libertatis adipiscendae intellectum esse, quo hic adduceretur, ut impedimentis sibi oblatis, quae vitam turbarent et vexarent, resisteret. Intellectus autem ille, nisi fallimur, forma illius cogitationis est, quam ipsam attributum omnia efficientis substantiae esse dixit, neque propterea quidquam est, quod ex se exsistit, ac potius aliquid est, quod ab alio, quod est haec ipsa substantia, determinatur. Quae quum ita sint,

Spinoza minime dicere potuit homini per intellectum quippe determinatum libero esse licere. Sed magis sibi constiterunt alii philosophi, qui determinismum professi sunt. Nam quum Spinoza aenigma, quomodo a Cartesio accepta principia et cogitationis et materiae ad se referrentur, solvi vellet opponendo cogitationi substantiae extensionem et inveniendo tertium quiddam: absolutam substantiam, quae quasi cogitationem et extensionem, quod in utramque formam abiret, connecteret, neque tam libertatem, id quod cognovismus, humanam quam distinctam cognitionem substantiae dimitteret: ii, qui materialistae vocantur, ut illud aenigma intellegerent, fundamentum philosophiae solum materiam, quam sensibus percipimus, jecerunt et huic tantum momentum ad cogitationem determinandam attribuerunt, ut non solum in sententia Helvetii et ceterorum acquiescerent: cogitationem et voluntatem humanam impulsu materiae sensibus perceptae determinari, sed etiam eo procederent, ut dicerent cogitationem nihil nisi materiam ipsam esse et propterea negarent omnino ullius libertatis hominem participem esse. Quam quidem sententiam si sequi vellemus, hominem nihil nisi effectum quendam, cujus causa vires universae materiae essent, esse dicere deberemus. Quin etiam nobis concedendum esset, quod vires materiae semper fere cum effectibus suis artissime cohaerescunt, his viribus hominem, ut effectum earum, statim obsequi debere neque quidquam aliud esse quam partem unam ex omnibus universae machinae partibus. Quae quidem contemplantibus nobis illud utique intellegendum est eas res, quas homo multo ante, quam gerit, molitur et procedente tempore praeparat, causâ, nisi in illo, quoniam in

materia non est, inveniri potest, carere. Unde optimo jure colligimus causam illarum rerum in homine esse debere. Atque si quaerimus, quae haec causa, homini innata, sit, quae eum ad res gerendas adducat, respondendum nobis est illam esse animum se ipsum intellegentem vel mentem sibi consciam sui. Quae quum ita sint, ut libertatem humanam illustremus, neque materialistis, qui animum nihil fere nisi materiam ipsam esse contendunt, neque Spinozae assentimur, qui libertatem quidem homini tribui, sed illam ab intellectu duci vult, quem concedere debebat, ut cogitatio et extensio materia sublata non exsisterent, item sine materia exsistere non posse et propterea determinatum esse. Imo vero libertas humana nobis in eo ponenda est, quod minime materia teneatur, ac potius aliquid sit, quod ex se exsistat. Quod quidem esse conscientiam optimae mentis (Selbstbewußtsein) nobis intellegentibus propositum est ab illa repetere libertatem humanam. — Atque ut id, quod volumus, assequamur, incipiamus a natura atque vi notionis, quae 'ego' est, et desinamus in functiones vel actiones conscientiae optimae mentis. —

Atque originem primum quidem notionis, quae 'ego' est, contemplanti mihi occurrit id, quod nobis omnibus ipsam contemplantibus in mentem incidit: illam repeti ex necessitate memet ipsum internoscendi a rebus, quae non sum. Nec mirum, quod, quum ipse in rebus validissimus sim, cogitationibus meis, quas verbis manifesto, illud deest, quod me subjectum actionis ad res pertinentis esse ita ostendat, ut verbis exprimere possim: „Ego ad has res determinandas vim quandam habeo.“ Cujus quidem notionis

inventio, ad quam quum homo non aetate provectus, sed jam in prima pueritia adire eo magis cogatur, quo distinctius res ei opponuntur, documentorum omnium primum documentum libertatis conscientiae optimae mentis est.

Deinceps commemorandum est vim hujus libertatis nondum perfectam esse, sed vi, quam conscientia optimae mentis in illa notione ponit, accrescente magis magisque corroborari. Nam, ut antea, quum res mihi opponi coeptae essent, ut ita dicam, otiosus fui et intellegendo, quid interesset inter illas et me ipsum, et inveniendo notionem, quae me significaret, actione uti coepi, ita per conscientiam optimae mentis, quo melius vim illius notionis intellegit, eo facilius statum actionum invenire mihi licet, in quo rebus imperare mihi liberum sit. Atque, quum conscientia optimae mentis perfectissima quaeque summam rerum potestatem praestet, versâ vice ex eo, quod apparet, quousque homo in res dominetur, nos omnes cognoscimus, quanti momenti apud eum illa notio sit. Veluti ab hominibus consilia quaedam capiuntur, quae exsequi non posse ita videantur, ut dixerimus libertatem eorum terminis circumscribi. Nihilo minus haec consilia praeter opinionem exsequuntur summam rerum potestatem adepti. Quid aliud efficit, ut illa exsequantur, nisi conscientia optimae mentis, quae a notione, quae 'ego' est, invenienda incipiens tantopere augetur, ut iis dicat ipsos vim habere aptam ad res oppositas et adversas superandas. Quibus de causis nostram sententiam ab iis, quae Fichte sentit, abhorrere putamus. Cujus quidem ratio philosophandi ipsa quoque a notione, quae 'ego' est, incipit, sed hanc notionem non ex conscientia optimae mentis oriri, ac potius perfectam esse vult.

Quod ita se habere ex illo ipso intellegendum est, quod prima initia philophiae inchoans dicit id, quod 'ego' sit, se ipsum tamquam ponere. Unde, ut hoc fiat, ne explicatione quidem illius notionis, nedum reliquis omnibus rebus opus esse apparet. Quin etiam videmus illum philosophum, ut Spinoza absolutam substantiam, quae perfectissima esset, fundamentum omnium rerum jecit, ita ex eo, quod 'ego' est, quo nec prius nec perfectius quidquam esse arbitratur, omnia repetere. Cujus quidem sententiam si sequeremur, nobis subdifficile non esset libertatem humanam demonstrare. Atqui putamus notionem, quae 'ego' est, et conscientiam optimae mentis procedente tempore ad summam vim pervenire. Quae quum ita sint, libertatem hominis, quae vera est, si ille sibi et sui et rerum gerendarum prorsus conscius est, et propterea in conscientia optimae mentis nititur, paullatim oriri affirmamus.

Sequitur, ut ad formam grammaticam notionis, quae 'ego' est, animum applicemus. Quam quidem nominativum, casum subjecti, esse videmus. De quo subjecto quum aliquid dicatur, nobis propositum est demonstrare illud 'ego' semper id spectare, ut aliquid faciat, neque id agere, ut quidquam patiatur. Sit sane difficile illud 'ego' recte cognitum habere, quod opiniones vulgares de hac notione idem ac de notione personae sentiunt. Sed quoniam illud 'ego' accuratius anquirere volumus, nobis in notione personae acquiescendum non est. Quae persona, quod, quamquam ei conscientia optimae mentis subjicitur, nihilo secius res est, quae in sensus cadit, sane, ut ceterae res ejus modi, ad statum passionis accedere potest, id quod ea, quibus notio, quae 'ego' est, continentur, non possunt. — Quae

quum ita sint, illud 'ego' saepenumero, si cum verbo generis passivi conjungitur, nihil nisi personam significat. Cujus rei afferamus hoc exemplum: „ego depellor." Nonne persona ipsa est ut res, quae in sensus cadat, quae depellitur? — Quodsi alterum exemplum perscrutati erimus: „ego laudor", intellexerimus minus laudem ad totum illud 'ego', quam ad certam actionem pertinere, quae est inter eas actiones, quas illud 'ego' conficiat. Unde omnino apparet id, quod 'ego' est, quodam modo altius esse studere, quam ut in statu passionis versetur. Atque ut nemo pro me cogitare potest, sed ego ipse cogito, ut nemo pro me velle potest, sed ego ipse volo, ita id, quod 'ego' est, semper nihil, nisi quid faciens esse debet. Idem ex eo colligitur, quod illa notio numquam res attributa fit, quae ceterae notiones fieri possunt. Veluti notio hominis res attributa fit, quum verbis exprimo: „Hic est homo", sed absurdum est pronunciare: „Hic est ego", si alium, atque ego sum, significare volo, quum etiam, si me ipse significare volo, mihi commutanti formam, quae est: „est", cum forma, quae est: „sum", pronunciandum sit:„ Hic sum ego", ut hoc 'ego' subjectum fiat. Unde efficitur notionem, quae 'ego' est, non modo non aliis attribui, sed ne mihi quidem addici, nisi subjectum sum, et apparet, quum propterea ea, quae illa notione continentur, ex se ipsis exsistere debeant, homini libertatem adjudicandam esse.

Relinquitur, ut commemoremus proprietates, quae in homine conspiciuntur, unum principium ita habere debere, ut natura ejus, quod organismus vocatur, tamquam ad centrum spectat. Quod centrum hominis illud 'ego' est. Sed si homo nihil nisi organismus esset, semper se eundem

praestaret, ex quo semel creatus est. Atqui proprietates hominis saepenumero sibi contrariae sunt et procedente tempore mirum in modum mutantur. Quo fit, ut concedamus illud centrum vivum esse et libertate praeditum esse debere.

Quoniam haec de libertate humana notionem, quae 'ego' est, contemplati diximus, transeamus ad alteram partem hujus disputationis, qua documenta libertatis ducta a functionibus vel actionibus ipsis animi sibi conscii sui tractentur, et incipiamus a contemplativa conscientia optimae mentis.

Et primum quidem qualem animus se praebeat, quum res quaedam ei opponuntur, perscrutantibus nobis intellegendum est illum sensibus percipientem sese praebere. Jam vero quaerentibus nobis, quibus ad sensibus percipiendum momentis opus sit, respondendum est momento, ut ita dicamus, physiologico et psychologico opus esse. Primum enim nervi affectibus quibusdam rerum oppositarum irritantur. Quorum quidem affectuum irritatio usque ad cerebrum, organum centrale nervorum, propagatur. Tum animus his affectibus ad rationem unitatis reductis parem imaginem format. Quod nisi fit, et animus ad aliud atque ad rem sensibus percipiendam sese applicat, ille minime opinionem hujus rei, quamvis valida in irritandis nervis sit, adipisci potest. Veluti homo multa auribus percipit neque audit, quod ad audiendum necessaria functio animi deest. Unde efficitur animum sua sponte actione sensibus percipiendi perfungi.

Deinceps de commentatione animi disputemus. Qua quidem commentatione notas ad naturam rei pertinentes a notis, quae ad naturam ejus non pertinent, sepa-

ratas uno conceptu conjungimus et compluribus conceptibus secum comparatis judicia, compluribus judiciis secum conjunctis ratiocinia nanciscimur. Atque, quum antea animus versaretur in rebus per sensus percipiendis, et hae res ipsae quodam modo cum actione animi concurrerent irritando nervos: tum quidem animus illis sensibus carens solus agens est et id, quod percepit, objectum suae actionis reddit, quae functio cogitatio est. Quodsi dicas actionem cogitandi ipsam legibus quibusdam, quas logica nos doceat, teneri, hoc non negamus, sed negamus propterea illam actionem determinatam esse praecipue, quod primum momentum cogitandi ex nihilo nisi ex conscientia optimae mentis oritur. Et ut tantum abest, ut dicamus nos prorsus determinatos esse, si certis remediis, ut studio nostro inserviamus, uti debemus, ut concedamus, quod momentum studendi in nobis ipsis invenitur, et nobis integrum est studere desistere, hoc totum studium liberum esse: ita merito censemus totam nostram actionem cogitandi nequaquam determinatam habendam esse, si, ut cognitionem rerum assequamur, regulis cogitandi quibusdam, ut remediis, utimur. — Atque ut ad summum illud veniamus. Nonne studium literarum maxime libertatem conscientiae optimae mentis prae se fert? Quod ex eo ipso cognoveris, quod hoc studium nullo impedimento coërcetur, et tantum abest, ut ad finem perducatur, ut semper denuo in rebus exquirendis versetur et nova inveniat.

Sequitur, ut commemoremus animo, ut notas ad naturam rerum cognoscendarum pertinentes a notis, quae ad naturam earum non pertinent, sejungens unum conceptum, quo gravissimae notae illarum contineantur, vel principium

illarum petit, ita per conscientiam optimae mentis licere principium invenire studere, in quo originem suam ipsius ponat. Nonne hoc studium documentum summum libertatis conscientiae optimae mentis est? An putas hoc studium insanum esse? Sane tibi repugnes, si forsitan concesseris conscientiam optimae mentis auctorem esse, ut principium cujusque rei inveniatur, et negare velis illam principium petere, quo non tam ipsa quam universum contineatur. Quod quidem principium absolute infinitum est, quocum conscientia optimae mentis tam artissimo vinculo connexa est, ut aut unum aut alterum nobis concedendum sit: conscientiam optimae mentis et absolute infinitum, ut principium illius, aut libertate praedita esse aut carere. Sed si utraque libertate carere concederemus, non jam absolute infinitum ac potius absolute finitum exsistere diceremus. Quod exsistere nequit, praesertim quum principium universi ex se exsistere debeat. Quae quum ita sint, illud affirmandum nobis est absolute infinitum libertate praeditum esse, et propterea ipsam quoque conscientiam optimae mentis liberam esse. —

Reliquum est, ut ex ideis conscientiae optimae mentis, quibus absolute infinitum vel, quod hoc perfectissimum est, ut verius dicamus, absolutam veritatem intuetur, libertatem illius cognoscamus. Quas quidem ideas conscientiam optimae mentis, quum exemplari, quod imitari posset, careret, quod ambitum rerum terrestrium excedebat, ex se ipsa finxisse consentaneum est. Unde colligendum est in conscientia optimae mentis sollertiam quandam esse, quae utique libertate carere non possit. Quae sollertia idearum fingendarum quomodo aucta sit et progressum libertatis

humanae demonstret, artes liberales nos edocent, quippe quae, quod fontem a conscientia optimae mentis ad absolute infinitum vel ad absolutam veritatem accedere studente repetunt, in perpetuum ad nova reperienda spectent. Quodsi jam compositione simplici elementorum materiae non id agimus, ut congeriem rudis molis assequamur, ac potius gravius quiddam spectamus, architecturae, ut ab hac incipiamus, materia bene composita nihil nisi id agit, ut vario modo ideas liberae conscientiae optimae mentis ante oculos proponat. Atque, ut ars quaeque minimo spacio loci eget, ita maxime vinculis materiae sese liberat. Cujus quidem libertatis progressum cognoscimus ex illo ab architectura ad picturam, musicam, poësin transitu. Nam quum architectura corporibus egeat, picturae nihilo nisi planitie et coloribus opus est, ut ideas conscientiae optimae mentis illustret. Musica vero omnino caret ea vi, quam materia infert, neque minus instrumento sono utitur, quam poësis, quae sonum in verba transformat. Quodsi ipsa oratio, quae apta est ad cogitationes manifestandas et propterea saepenumero ab arte non longe abest, libertatem conscientiae optimae mentis demonstrat, multo magis poësis ad libertatem illius spectat, quod summas ideas absolutae veritatis illustrat atque totum statum animi manifestat et propterea summo documento est, quantopere conscientia optimae mentis cum eo connexa sit, quod supra absolute infinitum vocavimus. Quibus artibus libertatis humanae demonstrandae causa adjungamus religionem, qua conscientia optimae mentis ab ideis arte illustrandis ad se revocata in idea, ut ita dicamus, unitatis et sui ipsius et absolute infiniti res sibi contrarias placantis, quod deus est, acquiescit. Atque

in illo ipso sane finis conscientiae optimae mentis ponendus est, quod, quum antea ideis arte illustrandis absolute infinitum frustra clare intueri studeret neque quiescere ita posset, ut semper nova quaedam procrearet, se ipsa ad deum sua sponte attollit.

Sed haec hactenus de libertate contemplativae conscientiae optimae mentis, nunc videamus, quomodo libertas ex conscientia optimae mentis usu populari et civili repetenda sit.

Atque primum quidem vitam communem contemplati videmus nostras actiones saepe se ad eas res accommodare, quibus maxime irritamur. Quae actiones, quum nulla alia re efficiantur, nisi impetu atque appetitu quodam illarum rerum ipsarum liberae eo minus vocari possunt, quod saepissime, ut hunc appetitum satiemus, nobis invitissimis obtruduntur et probantur. Quae quum ita sint, ut actiones liberae fiant, praeter momentum physiologicum, quod est ille ipse appetitus, momento psychologico opus est. Atque, ut jam supra vidimus ad percipiendum sensibus conscientiam optimae mentis, quâ percepta imagine conjuncta habeamus, accedere, ita hoc loco concedere debemus nobis, ut libere atque solute faciamus, eandem, qua opiniones actionum assequamur, opus esse.

Sequitur, ut de hoc statu disputemus, in quo actioni et opinioni conscientiae optimae mentis idem objectum est. Quae actiones sane liberae vocandae sunt, quod irritationi rerum et actioni ipsi quibusdam rerum opinionibus effecta libera destinatio conscientiae optimae mentis interposita est, quae saepe ad actionem iis contrariam, quae facturi eramus, pertinere potest. Sed haec libertas num

perfectissima est? Minime. Nisi forte putas hominem irritationibus rerum objectarum ita liberatum esse, ut conscientia optimae mentis sola eum regat. Sane hoc loco nos hoc, quod Beneke sentit, sequi oportet: „Aestimamus", inquit, „res tanti, quanta deminutio et accretio affectuum earum animum moventium est," neque facere possumus, quin affirmemus appetitionem quandam rerum illa aestimatione effectam nostram voluntatem et actionem aliqua ex parte determinare. Neque tamen etiamsi remotis his omnibus nobis libertatem propter liberum decretum conscientiae optimae mentis non abjudicamus, negare possumus etiam libertatem ejus modi, per quam facere nobis licet, quodcunque volumus, nihil nisi libertatem formalem esse, qua Schopenhauerus voluntatem humanam se ipsam tamquam ponere dicit. Et ipsa haec voluntas eadem facilitate honestis ac turpibus actionibus studet. Quum autem studium turpium actionum minime sane finem libertatis humanae habendum esse censeamus, merito affirmamus hanc libertatem nondum perfectissimam, veram vel, ut nos dicimus, realem esse.

Venimus nunc ad eum statum, in quo conscientia optimae mentis summam libertatem manifestet. Facile, si ordinem sententiarum hujus disputationis accuratius perscrutati erimus, intellexerimus omnem omnis status conscientiae optimae mentis contemplativae actionem, quae interna vocari potest, actionem externam secum ferre posse. Quo fit, ut, quum supra viderimus summam esse conscientiae optimae mentis contemplativae libertatem principii petendi, a quo naturam suam repeteret, ipsae quoque actiones externae, quae hoc studium sequuntur, documento

summae libertatis humanae sint. Neque jam homo, quod sibi maxime sui et propterea quum absolute infiniti tum legum ab hoc ducendarum, quae naturam ipsius statuant, conscius factus est, sese opponit ut personam universo, ac potius non ignorans se cum hoc universo in unum confusum esse et suae singularis rationis et condicionis immemor actiones externas ad naturam suam conformat. Atque ideae ipsae, quibus homo absolute infinitum et in hoc se ipse intuetur, tamquam auctores voluntatis ejus ita sunt, ut extra se nihil ille habeat, quo determinetur. Qui quidem status conscientiae optimae mentis est is, in quo Schopenhauerus voluntatem, quae se antea posuerit, se ipsam tollere et propterea liberam reddere affirmat. Nec immerito. Nam nostram voluntatem pro incolumitate legum naturae devoventes non solum secundum totam, sed etiam secundum nostram naturam facimus et omnino vivimus. Atque, quum antea voluntas nostra saepenumero ad cupidinem progrederetur earum rerum petendarum, quae nostram salutem et libertatem everterent, operam ita damus nostrae naturae servandae, ut salutem et libertatem recuperemus. Idem, quod apud Schopenhauerum invenimus, affirmamus, quum dicimus voluntatem, quae antea specialis erat, generalem fieri. Quoniam haec diximus, hoc loco optime sententiam eorum refutamus, qui dicunt fieri non posse, quin homo maleficus certis condicionibus illigatus scelus committat. Quamquam voluntatem vel appetitionem hominis in cupidinem quandam abire cognovimus, cui, quominus satietur, nullum impedimentum obstet, tamen tantum abest, ut concedamus hanc cupidinem libertatem humanam funditus tollere, ut affirmemus omnibus condicionibus per conscientiam

optimae mentis stare, ne voluntas in cupidinem transeat, neve haec, si quidem exstitit, tam longe progrediatur, ut libertati vim inferat. Neque deliberare debemus ultimam actionem hominis, quae cupidine determinata videtur esse, sed totum ordinem earum actionem, quae ultimam actionem turpem anteibant, id quod facere eo magis cogimur, quod natura libertatis humanae facultas conscientiae optimae mentis est ordinis actionum incipiendi et, ut ita dicamus, ita transcendentalis est, ut summae actionum, quas conficimus et conficiemus, impressa et praeposita sit. Unde perspicitur sane homini ne maleficentissimo quidem, quod utique potestate ordinis actionum incipiendi praeditus erat, libertatem abjudicari posse. Neque ab hac sententia recedimus conscientiam optimae mentis hominis malefici nunquam tam tenuem esse, ut ordine toto actionum vel turpissimarum confecto ultimam actionem turpem aversatus ad honestum accedere non possit. Quibus expositis ad legem naturalem venimus, quae quum in natura tota tum in homine posita est. Quae lex est, ut quaeque res ad finem moralem pertineat, neque solum legi morali conscientiae optimae mentis manifestatur, sed etiam ad summum finem perducitur. Neque ullo tempore intermisso conscientia optimae mentis nos, ut huic legi obtemperemus, ita admonet, ut mandatis ab ea datis contrarias quidem res perficere possimus, sed illorum semper nobis conscii esse debeamus. Atque id ipsum, quod admonitu conscientiae optimae mentis perspicitur nos, si huic repugnantem rem gessimus, aliam rem, atque haec erat, gerere debuisse, nos docet nos potestate libere agendi praeditos esse. Quae quum ita sint, rectissime Kantius ex hac lege, quam impe-

randi modum categoricum vocabat, libertatem humanam repetens: „Potes“, inquit, „quod debes facere.“ Quodsi principium legis moralis in absolute infinito, principio omnium rerum, vel, ut religionem sequamur, in deo ponimus, id quod etiam cogimur facere, nisi duo principia assecuti philosophiam uni principio studentem impugnare volumus: jure optimo affirmamus naturam legis moralis, quod deus libertate utitur, libertatem ipsam esse, et propterea libertatem hominis legi morali conscientiae optimae mentis inniti. Quae lex moralis nobis actiones honestissimas suadet. Et quamquam ex multis actionibus, quam volumus, eligere possumus, tamen una honestissima actio semper erit, ad quam eligendam non pulsus externus, irritatio rerum, sed pulsus internus, qui lex moralis conscientiae optimae mentis est, nos invitat. Qua invitatione, id quod libertas poscit, efficitur, ut id, quod eligit, et id, quod eligitur, ita una sint, ut actio obedientiam conscientiae optimae mentis manifestans adumbratio legis moralis, haec adumbratio actionis sit. Quare, ita hic quaeramus, conscientiâ optimae mentis mordemur atque cruciamur, si scelus commisimus? Quia momento externo neque huic voci ipsi internae obsecuti in imparem legis moralis cum actione rationem vel, ut verius dicamus, in servitutem aliarum rerum atque conscientiae optimae mentis, per quam nobis liberis esse licet, incidimus.

Restat, ut, quandoquidem de libertate hominum, ut singularum personarum sibi consciarum sui, disseruimus, nunc quaeramus, quomodo libertas universalis usu et convictu hominum comprobetur, et afferamus instituta quaedam libertatis, quae ad legem moralem conscientiae optimae mentis conformata sunt. Quum jam supra cognoverimus

personae libertatem faciendae cujuslibet rei nihil nisi formalem esse et veram vel realem fieri, si conscientia optimae mentis voluntatem determinat, hoc loco nobis dicendum est libertatem universalem veram fieri, si conscientia optimae mentis cunctorum hominum vel conscientia optimae mentis universalis voluntatem illorum in universum singillatimque determinat. Quae conscientia optimae mentis universalis attribuit suum cuique campum actionum neque illo ipso solum libertatem universorum hominum manifestat, sed etiam libertatem singularum personarum agnoscit et huic, ne libertatem universalem impugnet, moderatur. Quas res deliberantibus nobis occurrit ratio quaedam juris, qua conscientia optimae mentis universalis nos afficit, et quam in omni convictu hominum ponere debemus. Primum afferamus familiam, quae non tam conjunctio naturalis, quam institutum morale est, quo conscientia optimae mentis universalis singularum familiae personarum libertati propterea moderatur, quod id agit, ut haec communione bonorum augeatur et latius pateat. Neque haec libertas membrorum familiae est, ut illa ab hac, quippe quae eorum propriam rationem et condicionem confirmet, se separent, sed in hac naturam suam ipsorum invenientes libertatem veram assequantur. Tum societates hominum commemoremus, quae, si ad salutem hominum servandam et augendam spectant, instituta moralia sunt. Quae quidem instituta quaerentibus nobis quomodo oriantur respondendum est originem eorum ex eo repetendam esse, quod suam quaeque persona libertatem ut terminis quibusdam circumscribat conscientiâ optimae mentis propter libertatem reliquarum personarum commovetur, quibuscum versatur. Unde jura quaedem et deni-

que illa instituta oriuntur. Neque his societatibus institutis conscientia optimae mentis singularum personarum suam libertatem tollit, sed se attollens ad universalem conscientiam optimae mentis, per quam omnibus intellegere licet libertatem alterius alterius libertatem tueri, universalem libertatem comprobat, quae singulos homines a salute omnium hominum alienas res gerere impediens saluti servandae quum societatum tum singularum ipsarum personarum operam det. Videatur sane in societatibus instituendis studium quoddam esse personarum libertatis, quae, ut ita dicamus, specialis est, tollendae, sed hoc studium ipsum initium est libertatis libertate omnium recuperandae et longius proferendae. Denique civitas nobis afferenda est, ex qua maxime id perspicitur, quod modo diximus. Quae civitas quaerentibus nobis quomodo oriatur non solum illa libertas in mentem incidit, quam conscientia optimae mentis humana terminis quibusdam circumscribit, ut libertas omnium comprobetur, sed etiam occurrunt mores quidam, qui certe arbitrio personarum singularum inducti sunt. Ex quibus moribus concurrentibus leges repetuntur, quae civitatem constituunt. Unde quum leges tamquam voluntas sint conscientiae optimae mentis universalis, cui voluntas singulorum hominum interest, apparet minime voluntatem horum ipsorum tolli. Quae quum ita sint, id, quod apud Platonem de civitate legimus, parum nobis probari potest, quod libertate singularum personarum missa a civitate ipsa, ut optimo instituto, ille orsus explicat, quantam vim haec ad erudiendas et determinandas personas habere debeat. Et quamquam optimo jure dicit civitati, ut cives bonos reddat, id agendum esse, ignorat hominibus, ut boni fiant, motum animi voluntarium quendam

opus esse, quem propterea civitas ab illo constituta efficere nequit. Ne multa; videtur ille non cognovisse originem civitatis ex moribus quibusdam repetendam fuisse, qui ex libertate ipsa personarum singularum orti essent. Nos quidem putamus institutum, quod civitas est, propter id ipsum probandum esse, quod personis libertatem tribuit, et affirmamus non jam oportere civitas optime conformata excitet in animis illum motum voluntarium, quem Platonis civitas excitare non potest, quod hic motus jam exstat et conscientiae optimae mentis universali, quae leges dat, ita assentitur, ut non otiosus sit civitati omnes res gerendas mandans, sed ipse quam plurimum efficiat. Quodsi Beneke actionem personae ex aestimatione quadam deminutionis et accretionis affectuum repetit et id, quod ab omnibus plurimi aestimatur, honestum esse putat, haud scio, an nemo me impugnaturus sit affirmantem leges, quas tamquam voluntatem conscientiae optimae mentis universalis esse supra diximus, ab omnibus comprobatam aestimationem actionum honestarum esse et propterea libertatem humanam demonstrare debere. A qua aestimatione civitatis, ut instituti conscientiae optimae mentis, si persona recedit, quod propter accretionem affectuum eam rem plurimi facit, quae a civitate minimi fit vel reprobatur, a rebus honestis alienus est et ad eum statum accedit, in quo rebus turpibus determinatur. Quid jam afferamus civitatis libertatis plura documenta, quae in sensus cadant? Neque enim mirum est, quod jurisdictio civitatis personis singulis salutem quum bonorum tum omnis juris praestat et eos, qui leges non servant et migrant, in judicium adducit, quum utique conscientia optimae mentis uni-

versalis civitatem ea libertate afficere cogatur, quae et illius et civium salutem servet.

Ad extremum commemoremus historiam ipsam, quae nos docet, quomodo civitates se invicem infestaverint et adjuverint, nihil prae se ferre nisi studium populorum, quo conscientia optimae mentis eorum magis augeatur, libertatis eo majoris exercendae.

Quibus ita disputatis, quamquam plura, quae minoris esse facienda putamus, afferre possumus, tamen satis habeamus commemorasse gravissimas res ad libertatem humanam a conscientia optimae mentis ducendam spectantes et optamus, ut id, quod proposuimus, comprobetur neque minimum valeat ad refellendam sententiam eorum, qui materialistae a nobis vocantur, qui eo procedant, ut conscientiam optimae mentis et libertatem humanam funditus fere tolli velint.